



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. Quantitas Galliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Primò igitur aliqui apud Isidorum deducunt Gallorum nomen à Græco γάλα *lac*, quoniam lactei sunt coloris, si cum Italis componantur.

Secundò Diodorus Siculus à Galathâ Herculis filiâ nomen hoc elicit.

Tertiò Timagenes apud Ammianum Marcellinum lib. xv. ait Gallos, seu Galatas nuncupatos esse à Galathâ quadam, quæ fuit mater Celti, subditis suis carissimi, ex quo & Galli dicti sunt Celtæ.

Quartò Appianus in Illyricis, ait appellatos esse Gallos, à Gallo filio Polyphemi, qui ex Galatheâ tres filios suscepit, Celtum, Gallum & Illyricum.

Quintò Grammatici quidam Veteres volebant *Celtas* nomen accepisse à Græco κελῆται *Equites*, & κελπίζω *equum agito*, quòd ex equis optimè depugnarent.

§. 2. *Quantitas Gallie.*

LONGITVDO eius attenditur apud Strabonem à *Veneris Templo* in ultimo Pyrenæo ad *Vari Fl. ostia*, quæ distantia à quibusdam apud eum est 2600. stadiorum, aliis 2809. Ipse ex viâ publicâ hanc dimetiens, dat ei 277. Milliaria, hoc est 2216. stadiorum. Apud Ptolemæum verò desumitur ex *Gobæo Promontorio* longit. G. 15. M. 15. latit. 49. M. 45. ad Montem *Adulam*, long. G. 29. M. 30. latit. 45. M. 20. quod spatium ad maiorem circulum reuocatum dat 5200. stadiorum, seu Mil. 620.

LATITVDO desumitur ex prædicto *Veneris Templo* lat. 42. 20. Mil. ad *Rheni Orientale ostium*, Grad. 11. min. 40. hoc est stadiorum 2960. aut Milliarium 370. Ex Strabone nihil certi de eâ colligi potest.

§. 3. *Qualitas Gallie.*

IN genere tota Regio humidior est; cuius causam Seneca lib. 3. nat. quæst. in humorem cæli refundere videtur: Strabo in fluuios quibus alluitur, ποταμοῖς κατέβρυτος ἢ χόεσι. Non esse nimium frigidam innuit Iulianus Imperator: quare quæ leguntur de eius frigore ad Belgicam referenda sunt. Ventosam quoque facit Seneca, sed potissimum in eam sæuire ait Circium, cui templum